



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

4. de Personarum processionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

Rursus ista imago quæ est homo, habens illa tria, vna persona est. Illa verò Trinitas non vna persona est, sed tres personæ. Itaque in ista imagine Trinitatis non hæc tria vnus homo, sed vnus hominis sunt. In illa verò summa Trinitate tria non vnus Dei sunt, sed vnus Deus: & tres sunt illæ personæ, non vna persona.

DE PERSONARVM PRO-
cessionibus.

DISTINCT. Quartæ
CAP. Primum.

Cōcedendum est quòd Deus genuit Deum.

Hic quæritur an sit cōcedendum quòd Deus genuit Deum, quum Deus Pater genuerit filium Deum. Si enim Deus genuit Deum, aut se Deum, aut alium Deum genuit. Si alium Deum, non est igitur tantum vnus Deus. Si autem seipsum genuit Deum, aliqua res seipsam genuit.

*De com-
paratione
genera-
tionis ad
terminum
essentialem
cōcretum.*

Ad quod respondentes dicimus quòd Deus genuit Deum, vt in Symbolo scriptum est, Lumen de lumine, Deum verum de deo vero. Nec tamen se Deum aut alium Deum genuit: Non enim alium deum genuit, quia tantum vnus Deus. Nec seipsum genuit, vt dicit August. lib. i. de Trinit.

Cap. I.

Sed adhuc ratiocinantur garruli: Si Deus

Pater genuit Deum, aut genuit Deum qui est Deus Pater, aut Deum qui non est Deus Pater. Si genuit Deum qui non est Pater, ergo Deus est qui non est Deus Pater. Non ergo vnus tantum Deus est. Si verò genuit Deum, qui est Deus Pater, ergo genuit seipsum.

Ad quod respondemus, determinantes istam propositionem (Si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum qui est Deus Pater, aut Deum qui non est Deus Pater) sanè & prauè intelligi posse. Primò sic: Deus Pater genuit Deum qui est ipse Pater. Et id falsum est, & cōcedimus hāc, Genuit Deum qui non est Pater. Porro hāc, Genuit Deum qui non est Deus pater, potest dupliciter etiam intelligi: Primò genuit Deum qui non est Deus Pater: scilicet Deum Filium, qui Filius non est Pater qui Deus est: & tunc est vera. Secundò sic: Genuit Deum qui non est Deus Pater. i. qui non est Deus qui Pater est: & tunc sensus est falsus.

Deus genuit Deum qui non est Pater.

Neutra ergo istarum erit concedenda: Vel Pater genuit se Deum, aut alium Deum. Quamuis dicat August. ad Maximum quòd Pater se alterum genuit. quod sic intelligas, id est de se alterum à se genuit: non vtique alterum Deum, sed alteram personam. Vel genuit se alterum, id est genuit alterum qui hoc est quod ipse.

Epist.
66.

B ij

CAP. Secundum. Reprobatio cuiusdam erroris.

NEc assentiendum veritatis aduersariis cōcedentibus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, siue tres personas, esse vnum deum, vnam substantiam: sed negantibus vnum deum siue vnam substantiam esse tres personas: quoniam fides catholica vtrūque prædicat & confitetur. Vnde Aug. i. de Trinit. ait: Rectè ipse Deus Trinitas intelligitur. & libr. 5. de Trinit. Non tres deos, sed vnum deum dicimus esse ipsam præstantissimam Trinitatem. Cap. 6
c. 8

DE TERMINO VTROQUE Generationis.

DISTINCT. Quintæ
CAP. Primum.

Essentia nec est genita, nec generans.

De comparatione generationis ad terminum essentialium abstractum. Pater non genuit essentiam.

Post hæc quæritur vtrum Pater genuit diuinam essentiam, vel diuina essentia genuit Filium, vel essentia genuit essentiam, vel omnino non genuit vel genita est. Dicendum quòd Essentia diuina nec est generans, nec generata, nomine Essentiæ intelligendo naturam quæ est communis tribus personis, & tota in singulis. Ideo non est dicendum quòd Pater genuit diuinam essentiam: quia diuina essentia relatiuè diceretur